IN FESTO ASCENSIONIS CHRISTI ORATIO HABITA IN BASILICA LATERANENSI AD...

Annibale : degli Abati Olivieri Giordani, Bartolomeo : da#Roma, ...

BEATISSIME PATER



I de tuâ in me, Beatissime Pater, clementiâ dubitarem, multis à te verbis peterem, ne mihi succenseres, quod tenue hoc, & minùs dignum tua majestate munusculum

tibi audeam offerre. Verùm quum tanta sit singularis, ac propè incredibilis humanitas tua, quâ eos, quos Pontificia Majestas deterret, mirum in modum allicis, non sum veritus hanc, quam coram te habiturus sum Orationem, tuo nomini nuncupare; Quin etiam vehementer gaudeo opportunitatem mihi oblatam illius experiundæ, meum hoc officium non ingratum tibi fore confidens. Profectò nemo umquam, Sanctissime Pater, satis tuam poterit pro dignitate laudare Comitatem, qua omnes complecteris, quæque reliquas dignas summo Ecclesiæ Principe animi tui dotes clariores longe reddit, & illustriores. Neque mihi in animo est plurima illa, eaque præclara,

qui-

quibus excellis, decora hic ſingillatim cumulare; Neque memorare vetuſtiſſimi generis claritatem, & integerrimam vitæ rationem ab ineunte ætate ſuſceptam, conſtanterque per omnes vitæ, ac dignitatum gradus piè, ſanctèque ſervatam: aut eximiam in occultis ac penitùs abditis Divinitatis Myſteriis feliciter inveſtigandis efferre ſcientiam. Mitto ea, quæ Pontifex Maximus in dies edis ſplendidiſſima virtutum, & operum exempla. Mitto ampliſſimum Pauperum levamini Xenodochium in Urbe extructum: Divinum honorem, Sanctorum Cultum egregiè propagatum: Orthodoxam Religionem provectam: Veterem Eccleſiæ diſciplinam vindicatam. Mitto denique

reliqua, omnium ore celebrata, quæ me dicendo persequi summa animi tui moderatio non ferret. Singularem nihilominus humanitatem tuam extollere non desinam, quæ quò rarior in summa potestate solet esse, eò majoribus habetur digna præconiis. Hæc mihi spem facit, Beatissime Pater, Te qualecumque nunc offero demissæ in te meæ observantiæ argumentum, non alieno animo excepturum. Id ut consequar etiam, atque etiam obtestor. Tanto enim cumulatus beneficio amplissimum laboris fructum me retulisse arbitrabor.

ORA-



ORATIO.





Uod erat optandum maximè, Beatiſsime Pater; ut vnigenitus Dei Filius abſoluto Redemtionis opere, claritate, quam habuit, antequam Mundus fieret, illuſtris, hominibus oſtenderetur; & quod unum ad Turbatos Chriſti Diſcipulos, qui & de *Joan. 17.*

S. Leo serm. 1. de Ascens. exitu Crucis fuerant trepidi, & de Resurrectionis fide ambigui, veritate perspicua roborandos pertinebat: id Ecclesia Nobis hodierna proponit solennitate recolendum. Decuit enim post tot, tantosque mærores, quibus in amarissima Servatoris nostri Passione confecti fuimus, post acceptam in gloriosa illius Resurrectione immortalitatis spem, Ascensionis tandem Dominicæ, quæ verè nostra est glorificatio, celebrari mysteria. Hæc est tantæ causa festivitatis: Hæc præsentium materia gaudiorum. Hodie enim humanum genus reconciliatum est Deo, hodie diuturna simultas, longumque illud bellum dissolutum est, hodie qui terrâ ipsâ videbamur indigni ad Supernum, ac Cæleste Regnum ascendimus, & cum capite nostro Christo, tamquam membra ejusdem corporis regalem sedem occupamus. Exultemus igitur in Domino, & immolantes Deo sacrificium laudis de nostrâ nobis sorte gratulemur. Ascendit enim Christus, ut fides nostra,

Constantin. apud Euseb. lib. 3. de vit. cap. 18.

S. Aug. hom. 2. in Ascens.

S. Leo serm. 2. de Ascens.

S. Jo. Chrys. hom. in Ascens.

Psal. 80.

Psal. 49.

D. Thom. par. 3. summ. quæst. 57. ar. 1. & 6.

sum-

ſummoto ab oculis myſterio excellentior eſſet, & firmior. Aſcendit, ut humanâ naturâ in Cælum aſſumptâ, ſpem illùc perveniendi nobis augeret. Aſcendit ut caritatis affectum in Cæleſtia erigeret, & quæ ſurſum ſunt ſapere, quæ ſurſum ſunt doceret quærere. Aſcendit ut illò nobis panderet iter, ibique pararet locum: ut ubi ipſe eſt, & nos eſſemus: ut pro nobis ad Deum interpellans nos inde tueretur, ac protegeret: ut in Cælorum ſede Dominus conſtitutus Divina hominibus dona largiretur. Dona Sancti Spiritus, quibus Apoſtolorum, & Diſcipulorum corda ſuperno igne conflagrarent: mentes divino lumine illuſtrarentur, & Cæleſtium unctione Chariſmatum ipſis ſermo ſapientiæ, ac ſcientiæ, operatio virtutum, diſcretio ſpirituum, genera linguarum diſpenſarentur; dona ſanè ampliſſima, quibus nos quoque cumulati ſumus ad menſuram donationis Chriſti; quibus excuſſo veteris ſervitutis jugo non ſolum Paradiſi poſſeſſores firmati ſumus,

S.Leo ferm. 2. de Aſcen. — *Ad Coloſſ. 3.* — *Mich. 2.* — *Joan. 4.* — *S. Aug. hom. 1. de Aſcenſ.* — *I. Cor. 12.* — *Epheſ. 4.* — *S.Leo ſerm. 1. de Aſcenſ.*

ſumus, verùm etiam Cælorum in Chriſto ſuperna penetravimus

Quæ cùm ita ſint, & tantis hodie fuerimus beneficiis affecti, fauſtum, fortunatumque Servatoris noſtri triumphum, ex quo nobis ea fluxerunt, intueamur. Intueamur illum Dæmonis everſa tyrannide, contritis æreis inferni portis, vectibuſque ferreis confractis, devictæ mortis ſpoliis onuſtum Cælos propria virtute ſuperantem. Intueamur juſtos, & Sanctos Patres, quos ipſe in tenebris, & in umbra mortis ſedentes, vinculis ſolutos, in æternam Majeſtatis ſuæ gloriam evexit. Intueamur plaudentia Angelorum Agmina, Canticiſque triumphalibus redeunti Domino occurrentia.

Clem. XI. hom. 3. *Pſal. 106.* *Clem. XI. hom. 9.* *Pſalm. 106. & 67.* *S. Aug. hom. 5. de Aſcenſ.*

Sed jam nubes ſuſcepit eum ab oculis noſtris; jam triumphum Victoriæ, quam reportaverat a mortuis, intulit Cælis; jam ineffabilis ipſius exinanitio ad priſtinæ altitudinis rediit majeſtatem; jam ſuper omnem Cæli militiam, ſuper omnes Ange-

Act. 1. *S. Leo ſerm. 2. de Aſcenſ.* *S. Cyprian. ſerm. de Reſurr. Dom.* *S. Leo ſerm. 2. de Aſcenſ.*

Angelorum Ordines ad Dei Patris consessum accessit.

Nos interea tanti diei memoriam recolentes, obstupentium more Discipulorum, quid stamus adspicientes in Cælum? Imitemur eos potius, qui à conspectu cælestis gloriæ hujus ingenti cum lætitiâ revertebantur. Exultemus in Domino, & Sacrum hunc diem alacri, & læto animo celebremus. Sed ut gaudium nostrum sit perfectè, omnique ex parte absolutum, quem corpore ascendentem adspeximus, corde prosequamur; atque illius vestigia sectantes curramus in odorem unguentorum suorum. Curramus fidei gressibus, misericordiæ operibus, amore veritatis. Ascendamus & nos cum illo in affectu bono in Fide vivâ, in spe firmâ, in Caritate non fictâ, in desiderio perpetuitatis & vitæ æternæ, & veteri homine deposito cogitationes nostras, mentem denique omnem, in Cælis, ubi Patrem habemus figamus, ut Sanctæ ejus Ascen-

Act. 1.
Luc. 24.
Clem. XI. hom. 2.
S. Jo. Gregor. hom. 29. in Evang.
Cantic. 1.
S. Leo serm. 8. de Pass. Dom.
S. Aug. in Psal. 120.
S. Gregor. hom. 29. in Euang.

sionis

S. Leo serm. 8. de Pass. Dom. ſionis mereamur eſſe participes, quæ adi-
Clem. XI. hom. 9. tum nobis de Regione umbræ mortis, ad
terram repromiſsionis aperuit.

